

superfluas¹⁾ Vale iam et meis verbis salutem dicas
Parentibus sororibusque nobilissimis, mihi que fauere numquam
desine, vt TIBI

Hafniae

obstrictissimo, deuinctissimo

d. 27 Januar.

J. Zoëga.

1765.

(89)* Nobilissime Domine Doctor et Professor,
Fautor et Amice aestumatissime.

Nescio an ad vltimas meas responderis, necne. Iterum
tam longum est tempus, ex quo TVAS viderim litteras, vt
ad TE scribere diutius differre non possim, sperans fore vt
et post haud multas hebdomades respensionem exoptatam
habiturus sim. Et nisi plura ad scribendum me stimulent,
hoc vnicum sufficeret, quod Doctoris gradum, iam diu pro-
meritum, assumissem TE audiuerim. Gratulor ideo de as-
sumto hoc honoris gradu et opto vt mox maiores et plures
eum sequantur.

Mitto TIBI heic horti nostri Catalogum et eum quidem
in finem, vt mutuam plantarum communicationem, si ita pla-
ceat, inire possimus. Videbis iam ex hoc catalogo, quas-
nam plantas hortus noster foueat. Si itaque mihi indicare
velis, quatenam ex his plantis TIBI deficerent, et quasnam
e vestris, quas non habemus, nobis mittere velis, nos ad tale
commercium paratissimos inuenies. Nec dubito, quin et TIBI
gratum hoc fuerit, quum unica fere et optima haec sit via
ad augendas hortorum gazas. Mittam ego tam semina quam
radices, si modo nobis in duplo sint. Opus vero est, vt
Catalogum nostrum legere possis, hinc eius rationem dabo.
Numeri typis expressi indicant paginam specierum plantarum
editionis alterae. Numeri adscripti indicant numerum speciei
in hac pagina. Si vero plura genera in eadem pagina ex-
stant, ideoque facile fit, vt pluribus speciebus idem sit nu-

¹⁾ Om Bytning af Planter.